

1.5.4

*Idem AA. et Theodosius A. Senatori pp.*

Manichaeos seu Manichaeas vel Donatistas meritissima severitate persequimur, huic itaque hominum generi nihil ex moribus, nihil ex legibus sit commune cum ceteris.

1 ¶ Ac primum quidem volumus esse publicum crimen, quia, quod in religione divina committitur, in omnium fertur iniuriam. quos honorum etiam publicatione persequimur: quae tamen cedere iubemus proximis quibusque personis, ita ut ascendentium vel descendentium vel venientium ex latere cognatorum usque ad secundum gradum velut in successione ordo servetur. quibus ita demum ad capiendas facultates esse ius patimur, si non et ipsi pari conscientia polluantur.

2 ¶ Ipsos quoque volumus amoveri ab omni liberalitate et successione quolibet titulo veniente.

3 ¶ Praeterea non donandi, non emendi, non vendendi, non postremo contrahendi cuiquam convicto relinquimus facultatem.

4 ¶ In mortem quoque inquisitio tendatur, nam si in criminibus maiestatis licet memoriam accusare defuncti, non immerito et hic debet subire iudicium.

5 ¶ Ergo et suprema illius scriptura irrita sit, sive testamento sive codicillo sive epistula sive quolibet genere reliquerit voluntatem qui Manichaeus fuisse convincitur: hoc quoque casu eadem illa circa gradus superius comprehensos condicione servata.

6 ¶ Sed nec filios heredes existere aut adire permittimus, nisi a paterna pravitate discesserint: delicti enim veniam paenitentibus damus.

7 ¶ In eos etiam auctoritatis aculei dirigantur, qui eos domibus suis damnanda provisione defendent.

8 ¶ Servos insuper extra noxam esse volumus, si dominum sacrilegum evitantes ad ecclesiam catholicam servitio fidiore transierint.

*D. VIII k. Mart. Romae Honorio VII et Theodosio II AA. cons.*

[a. 407]